

morum festis solennioribus, alicubi bis. Eadem libertate etiamnum utitur Ecclesia, quam Augustino & Socrate testibus, imò & probantibus, olim exercuit: ut §. 11. & pass. vidimus. Prudentissimus Theologus! Guilielmus Zepperus *Polit. Eccles.* lib. 1. c. 12. *Apud Prosperum, inquit, diebus Dominicis, summo mane Carthagini peractam fuisse, (S. Cœnam) videre est. Quæ consuetudo hodie in omnibus, quod sciam, Ecclesiis viget.* Sciscitantibus, quoties his partibus defungendum sit? Respondemus, aliud Ecclesiæ, quæ tempora, quibus ad S. Synaxin conveniendum sit, designat: aliud piis ejus membris volvendum & perpendendum esse. Ecclesiæ, operam dabit, ut terminos, tum hujus cultus dignitati & usui: tum fidelium moribus & fidei imbecillitati convenientes constituat. Quia convivium hoc sanctè tractandum, fideles verò securiores: Imò ea mentis imbecillitate sunt, ut quanquam & maxima & sanctissima, usu crebriore vilescant; haud consultum videtur, ut frequens nimis sit, sed tempus justum fidelium explorationi conscientiæque examini, imprimis in tantâ disciplinæ indulgentia relinquatur, quò maturè tum suam indignitatem, tum Mysterii, quod illic proponitur, sublimitatem, officiorumque Christi discipulis incumbentium ἀκριβέως, ad animum revocare queant. Porro quum & fidelium imbecilla fides fulcro, & eorum in stadio pietatis cunctatio, stimulo egeat, & epulum illud sacrum pro cœnium aliquod cœlestis gaudii sit, haud æquum est, eam rariorem esse: ne populo Dei contingat, quod Israeli, qui Saulitico illo jejunio retinebatur, ne Philistæos internecone delerent, ipse solido inde gaudio & bono fruerebatur. Sanè Albaspinæus, observat, dies, quibus Eucharistia sumebatur, ab antiquis *dies lætitiæ, remissionis, immunitatis, solennes, festivos* vocatos. Illis diebus tam insignia fuisse gaudia, ut aliqui à sumtâ Eucharistiæ confestim ad Martyrium, quasi impotentes lætitiæ, ultrò sese obtulerint. *Fidelium* est, acquiescere Ecclesiæ suæ judicio, nec in re, nullo Christi præcepto definita & limitata, morosa singularitate sibi aliisve negotia facessere. Cœterum, præcipuè in Ecclesiis, in quibus S. hoc convivium rariùs celebratur, hoc pietatis exercitium, hæc gratitudinis in Deum & quem misit Jesum Christum solennis professio, fidei sustentaculum, novi hominis nutrimentum, Regenerationis subsidium, tantò religiosius cum conservis nostris celebrandum, nec ulla Christi invitatio, nulla, quâ cum eo accumbere licet, occasio negligenda. Id verò coronidis loco ejusdem Zepperi gravissima obtestatione commendabimus. Postquam dixisset, in illis Ecclesiis, quæ non singulis Dominicis communicant, cœtum octiduo ante invitari: Si inquit l. c. *rectè in Ecclesia ageretur, nemo ab illius participatione quotiescunque celebratur, subducere sese debebat. Cum enim Christus in cœna sua toties ingeminet: Accipite, edite, bibite ex hoc omnes, hoc facite, Mortem Domini annuntiate: Minister verò, pro legationis suæ officio, totam Ecclesiam Christi nomine invitet: quo ore, quâ fronte, quo animo hæc quispiam de Ecclesia, & in illa audire ac tam n. abstinere ab illa potest? Annon contumelia magna Christo irrogatur, dum tot mandatis, tam seriò invitanti repulsa datur? Et quid erit Testamentum Christi negligere, contemnere, atque irridere, si hoc non fuerit? Annon verò contemptus hic & contumelia major fit, dum actioni huic sacræ astatur, & simul tamen non communicatur? Annon, quæso, hoc est Deo, Christo, Ecclesiæ, fratribus, imò suæ ipsius salutis tergum obvertere? Sanè ut nihil jure ab ægroto quovis prætexi potest, quominus morbo suo remedia adhibeat, quoties & Medicus, & Medicina seu remedia ad manum sunt, nisi valetudinem suam studio, imò turpiter prostituere velit: ita cum S. cœnæ usus legitimus, præsentissimum sit diffidentia, fideique infirmitatis nostræ, quâ cum creberrimè conflictamur, remedium, ab illâ (nisi per morbos, peregrinationes, aut similem necessitatem evidentem impediatur) subducere se nemo potest, qui animæ suæ salutem, ejusque authorem Christum post se rejicere, non velit. Quod si quis vel peccata sua, vel quod lites & inimicitia cum proximo ipsi intercedant, vel alia hujusmodi prætexere & causari velit, octidui spatium ad penitentiam, rerum suarum compositionem, utque cum proximo in gratiam redeat, ipsi restat. Neque ad resipiscentiam longa temporum spatia requiruntur. Potes nova spe lucri aut commodi affulgentem, aut gravibus periculis & difficultatibus apparentibus & ingruentibus, consilium & institutum facile & citò invertere. Et quomodo ad resipiscentiam tot tibi dies non sufficerent? Subjicit decreta Veterum, quæ omnibus fidelibus communionem sacram injungunt, de quibus §. 13. Addit denique: *Quid? quod etiamnum hodie in Reformatis Ecclesiis, qui non reddita apud Ministros ac Seniores assensu suæ causâ, à sacræ cœnæ usu temerè se subducunt, hoc nomine admonentur & reprehenduntur Ecclesiasticè. Καὶ ταῦτα μὲν ἐν ταῦτα.**

Coll. Diss. A 183, misc 2